

## PLINE LE JEUNE

## Lettres

I,13

C. PLINIUS SOSIO SENECONI SUO S.

(1) Magnum prouentum pœtarum annus hic attulit: toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. Iuuat me quod uigent studia, proferunt se ingenia hominum et ostentant, tametsi ad audiendum pigre coitur. (2) Plerique in stationibus sedent tempusque audiendi fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari iubent, an iam recitator intrauerit, an dixerit præfationem, an ex magna parte euoluerit librum ; tum demum ac tunc quoque lente cunctanterque ueniunt, nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere.

(3) At hercule memoria parentum Claudium Cæsarem ferunt, cum in Palatio spatiaretur audissetque clamorem, causam requisisse, cumque dictum esset recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatumque uenisse. (4) Nunc otiosissimus quisque multo ante rogatus et identidem admonitus aut non uenit aut, si uenit, queritur se diem, quia non perdidit, perdidisse. (5) Sed tanto magis laudandi probandique sunt, quos a scribendi recitandique studio hæc auditorum uel desidia uel superbia non retardat.

Equidem prope nemini defui. Erant sane plerique amici ; neque enim est fere quisquam, qui studia, ut non simul et nos amet. (6) His ex causis longius quam destinaueram tempus in urbe consumpsi. Possum iam repetere secessum et scribere aliquid, quod non recitem, ne uidear, quorum recitationibus adfui, non auditor fuisse sed creditor. Nam ut in ceteris rebus ita in audiendi officio perit gratia si reposcatur. Vale.

III,21

C. Plinius Cornelio Prisco suo s.

(1) Audio Valerium Martialem decessisse et moleste fero. Erat homo ingeniosus acutus acer, et qui plurimum in scribendo et salis haberet et fellis nec candoris minus. (2) Prosecutus eram uiatico secedentem; dederam hoc amicitiae, dederam etiam uersiculis, quos de me composuit. (3) Fuit moris antiqui eos, qui uel singulorum laudes uel urbium scripserant, aut honoribus aut pecunia honorare; nostris uero temporibus ut alia speciosa et egregia ita hoc in primis exoleuit. Nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. (4) Quæris, qui sint uersiculi, quibus gratiam rettuli ? Remitterem te ad ipsum uolumen, nisi quosdam tenerem; tu, si placuerint hi, ceteros in libro requires. (5) Alloquitur Musam, mandat, ut domum meam Esquiliis quærat, adeat reuerenter :

Sed ne tempore non tuo disertam  
pulses ebria ianuam uideto;  
totos dat tetricæ dies Mineruæ,  
dum centum studet auribus uirorum  
hoc, quod sæcula posterique possint  
Arpinis quoque comparare chartis.  
Seras tutior ibis ad lucernas ;  
hæc hora est tua, cum furit Lyæus,  
cum regnat rosa, cum madent capilli.  
Tunc me uel rigidi legant Catones.

(6) Meritone eum, qui hæc de me scripsit, et tunc dimisi amicissime et nunc ut amicissimum defunctum esse doleo? Dedit enim mihi, quantum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset. Tametsi, quid homini potest dari maius quam gloria et laus et æternitas? At non erunt æterna, quæ scripsit; non erunt fortasse, ille tamen scripsit, tamquam essent futura. Vale.

IV,25

C. PLINIUS MÆSIO MAXIMO SUO S.

(1) Scripseram tibi uerendum esse, ne ex tacitis suffragiis uitium aliquod existeret. Factum est. Proximis comitiis in quibusdam tabellis multa iocularia atque etiam fœda dictu, in una uero pro candidatorum nominibus suffragorum nomina inuenta sunt. (2) Excanduit senatus magnoque clamore ei qui scripsisset iratum principem est comprecatus. Ille tamen fefellit et latuit, fortasse etiam inter indignantes fuit. (3) Quid hunc putamus domi facere, qui in tanta re tam serio tempore tam scurriliter ludat, qui denique omnino in senatu dicax et urbanus et bellus est ? (4) Tantum licentiæ prauis ingeniis adicit illa fiducia : "quis enim sciet ?" Poposcit tabellas, stilum accepit, demisit caput, neminem ueretur, se contemnit. (5) Inde ista ludibria scæna et pulpito digna. Quo te uertas ? quæ remedia conquiras ? Vbique uitia remediis fortiora.[...] Vale.

VI,17

C. PLINIUS RESTITUTO SUO s.d.

(1) Indignatiunculam, quam in cuiusdam amici auditorio cepi, non possum mihi temperare quo minus apud te, quia non contigit coram, per epistolam effundam. Recitabatur liber absolutissimus. (2) Hunc duo aut tres, ut sibi et paucis uidentur, deserti surdis mutisque similes audiebant. Non labra diduxerunt, non mouerunt manum, non denique assurrexerunt saltem lassitudine sedendi. (3) Quæ tanta grauitas ? Quæ tanta sapientia? quæ immo pigritia arrogancia sinisteritas ac potius amentia, in hoc totum diem impendere ut offendas, ut inimicum relinquant ad quem tamquam amicissimum ueneris ? Desertior ipse es ? (4) Tanto magis ne inuideris ; nam qui inuidet minor est. Denique siue plus siue minus siue idem præstas, lauda uel inferiorem uel superiorem uel parem : superiorem quia nisi laudandus ille non potes ipse laudari, inferiorem aut parem quia pertinet ad tuam gloriam quam maximum uideri, quem præcedis uel exæquas. (5) Equidem omnes qui aliquid in studiis faciunt uenerari etiam mirarique soleo ; est enim res difficilis ardua fastidiosa, et quæ eos a quibus contemnitur inuicem contemnat. Nisi forte aliud iudicas tu. Quamquam quis uno te reuerentior huius operis, quis benignior æstimator ? (6) Qua ratione ductus tibi potissimum indignationem meam prodidi, quem habere socium maxime poteram. Vale.

VIII,21

C. PLINIUS ARRIANO SUO S.

(1) Vt in uita sic in studiis pulcherrimum et humanissimum existimo seueritatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, hæc in petulantiam excedat. (2) Qua ratione ductus grauiora opera lusibus iocisque distinguo. Ad hos proferendos et tempus et locum opportunissimum elegi, utque iam nunc assuescerent et ab otiosis et in triclinio audiri, Iulio mense, quo maxime lites interquiescunt, positus ante lectos cathedris amicos collocaui. (3) Forte accidit ut eodem die mane in aduocationem subitam rogarer, quod mihi causam præloquendi dedit. Sum enim deprecatus, ne quis ut irreuerentem operis argueret, quod recitaturus, quamquam et amicis et paucis, id est iterum amicis, foro et negotiis non abstinuissem. Addidi hunc ordinem me et in scribendo sequi, ut necessitates uoluptatibus, seria iucundis anteferrem, ac primum amicis tum mihi scriberem. (4) Liber fuit et opusculis uarius et metris. Ita solemus, qui ingenio parum fidimus, satietatis periculum fugere. Recitauit biduo. Hoc assensus audientium exegit; et tamen ut alii transeunt quædam imputantque quod transeant, sic ego nihil prætereo atque etiam non præterire me dico. Lego enim omnia ut omnia emendem, quod contingere non potest electa recitantibus. (5) At illud modestius et fortasse reuerentius; sed hoc simplicius et amantius. Amat enim qui se sic amari putat, ut tædium non pertimescat; et alioqui quid præstant sodales, si conueniunt uoluptatis suæ causa? Delicatus ac similis ignoto est, qui amici librum bonum mauult audire quam facere. (6) Non dubito cupere te pro cetera mei caritate quam maturissime legere hunc adhuc musteum librum. Leges, sed retractatum, quæ causa recitandi fuit; et tamen non nulla iam ex eo nosti. Hæc emendata postea uel, quod interdum longiore mora solet, deteriora facta quasi noua rursus et rescripta cognosces. Nam plerisque mutatis ea quoque mutata uidentur, quæ manent. Vale.

IX,6

C. PLINIUS CALVISIO SUO s.d.

(1) Omne hoc tempus inter pugillares ac libellos iucundissima quiete transmisi. "Quemadmodum" inquis "in urbe potuisti ?" Circenses erant, quo genere spectaculi ne leuissime quidem teneor. Nihil nouum, nihil uarium, nihil quod non semel spectasse sufficiat. (2) Quo magis miror tot milia uirorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines uidere. Si tamen aut uelocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla ; nunc fauent panno, pannum amant, et si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc, ille huc transferatur, studium fauorque transibit, et repente agitadores illos equos illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina relinquent. (3) Tanta gratia tanta auctoritas in una uilissima tunica, mitto apud uulgus, quod uilius tunica, sed apud quosdam graues homines ; quos ego cum recordor, in re inani frigida assidua, tam insatiabiliter desiderare, capio aliquam uoluptatem, quod hac uoluptate non capior. (4) Ac per hos dies libentissime otium meum in litteris colloco, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. Vale.